















Handwritten numbers on the right edge of the page, including 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9, 10, 11, 12, 13.





1650.

1. Carpzov, Benedictus : De pignoratibus et hypothecis
2. Carpzov, Benedictus : Discursus hist. jur. voti System-  
vitalis gravissimi.
3. Mengerius, Hermannus Rudens : De voce Majali
4. Michaelis, Johann : De morbi ab incantatione et  
beneficiis oriandis
5. Nochius, Tobias : De acquisitione bellica.
6. Voestell, Theodor : De contractibus inominatis
7. Muccius, Petrus : De ampliatione juris Delictio
8. Schenckendorffer, Georgius Tobias : De transmissione.
9. Wagnerus, Paulus : De dispositione inter Liberos.
10. Wirth, Polycarpus : De lege Augustia
11. Wirthius, Polycarpus : De deposito et sequestratione

1657.

1. \* Nücklerius, Johann : Rector academiae Lipsiensis  
vires academicae Johanne Nücklerinae uxori  
consulari exequies Thuro



1657.

2. Born, Johannes: De retracta
3. Carpzov, Benedictus: De juribus foeminarum singularibus
4. Carpzov, Benedictus: De juribus foeminarum singularibus  
conteris.
5. Carpzov, Benedictus: System generale debitorum, sum-  
primis vero belli calamitate et casu fatali  
ad incertam redactorum, ab iniuria et rigorosa credi-  
torum exactione pro observando inter utroque acqui-  
sitio.
6. Heiland, Inoch: De arpheda.
7. Mañvischius, Johannes: De maiestate
8. Philippi, Johannes: De crimine (lesae) maiestatis  
divinae et humanae.
9. Puffendorffer, Esajas: De legibus Salicis.
10. Rivinus, Ruden: Diatriba Majana exoterica  
de pseudogrycis Majanis, Marcampois et Pon-  
calis, Mayatibusque aliis.



1651,

11. Romanus, Franciscus : De pignoratibus et hypothecis

12. Romanus, Franciscus : De interpretatione legis  
restrictiva.

13. Romanus, Franciscus : De emphyteusi.

14. Puchius, Johannes : Idea boni principis.

15. Gieglerus, Caspar : De testamentis.



*[Faint, illegible handwriting in a cursive script, likely a historical document or manuscript.]*





1650, 13/

52

ΣΤΝ ΘΕΩ.

ASSERTIONES PHYSICÆ

DE

# RORE MAJALI.

*Quas*

Permissu Inclutæ Fac Philos.

*placidæ συζητήσεις*

*sistunt*

M. HENRICUS ANDREAS

MENGERINGUS, Parthenopolitanus, Med. &

Chym. Cultor, Sereniss. & Illustr. Dn. Administr.

Archiepiscopatus Magdeb. Alumnus.

&

JOHANNES MOLLERUS, Dantiscanus

Borussus Med. Studios.

*Ad diem XIX. Maji.*

Anno Christi M DC L.

Lipsiæ,

*Ex Chalcographæo Hænianno.*





*Generoso, Nobili & Strenuo*

DOMINO

**DN. NICOLAO von Bicken/**  
**Sacræ Regiæ Majestatis Sueciæ & Nor-**  
**vvegiæ &c. &c.**

*Sub vexillo*

**Illustrissimi Comitis de WITT**

**CAPITANEO Fortissimo.**

DOMINO & PATRONO

*Colendissimo, Maximo*

**Disputationem hanc Philosophicam**

*In sui Commendationem consecrat*

**PRÆSES.**





B. C. D.

## ANTELOQVIUM.

**N**gens sanè beneficium est, quod contemplatio naturæ suppeditat, quæ nobis id, quod in toto terrarum orbe jucundum & amœnum vel ad fruendum vel ad spectandum, largissimè præbet, ut nunquam molestia aut tædium obrepere nobis possit, sed ut suavissimè semper honestis fruente voluptatibus vivamus. Ecquod enim jucundius spectaculum esse potest, quàm totius naturæ consideratio? quàm perspicere cælum, terras, maria, rerumq; omnium naturam: Eaq; unde generata, quò recurrant, quanc, quomodo obitura, quid in iis mortale & caducum, quid divinum æternumq; videre, ipsumq; moderantem & regentem DEUM penè prehendere. Vix autem quicquam, nisi animus me fallit, in tota Philosophiæ speculativa parte, quæ  $\Phi\upsilon\sigma\iota\kappa\eta$  appellatur, cognitu pulchrius, contemplatu jucundius, aspectu mirabilius, inquisitu subtilius (ne dicam difficilius) est, quàm eorum corporum naturalium, quæ in sublimi generantur, scientia: Talis namq; est hujusmodi corporum indoles atq; natura, ut eam mirari, imò rimari satius nequiverit humana sapientiæ parens Aristoteles, sed nonnulla captum suum excedere ingenue affirmet. lib. 1. meteor. cap. 1. Nos non tam facultate præditi, quàm horum amore excitati; non tam disputandi voluptate, quàm discendi cupiditate commoti fuimus, ex illorum numero RORIS & quidem MAJALIS (doni DEI inter ma-



xima haud ultimi ) mira ndamnaturam tbesibus qvibusdam,  
iis q, nec multis neq, prolixis comprehensam, Philosophica discuf-  
sioni subicere; qvod ut feliciter eveniat, Divinum Numen sup-  
plices rogamus.

ΣΥΝΘΕΣΙΣ

THES. I.



Onsideraturi Rorem & speciatim Maja-  
lem, non abs re facturi sumus, si primùm de  
Meteoris in genere fuerimus solliciti, qvædam  
è præcognitis repetentes atqve huc transferentes: dixit  
enim Philosophus i. de part. animal. c. i. qvòd in omni  
genere rerum necessariò prius communia præponenda  
sint, deinde qvæ sint propria, ne idem frequentius ac sæ-  
pius repetatur, nedum aliquid ad declarationem condu-  
cens prorsus reticeatur.

II.

i. Qvoad *ὀνοματολογία*, haud parùm de eâ inter sese  
dissentiant Grammatici. Qvidam enim dictum putant  
*μετέωρον* à *μῆ*, trans, procul vel longè, & *θεωρία*, contempla-  
tio aut speculatio, unde liber Meteororû, id est, liber lon-  
gè speculatorum; Alii nomen factum esse existimant à  
*μῆ* & *ὄρα* seu *ὄρα*, hoc est video, qvæsi longè visum & con-  
spectum; Aliqui *ἀπό τῆς αἰῶρας*, id est, à suspensio derivant.  
Rectius autem illi, qvi deducunt à *μῆ* & *αἴρω* sive *αἰέρω*, hoc  
est, attollo, elevo & suspendo, vel qvia pleraq; in sublime  
elevantur, inibi q; conspiciuntur, vel qvia hominum ani-  
mos suspensos & dubios reddunt, de qvibus ipse fatetur  
Noster Philosophus, se de qvibusdam adhuc dubitare,  
qvædam aliquo modo attigisse.

III.



III.

2. Quoad definitionem. Definiuntur Meteora quòd sint corpora imperfectè mixta quorum materia est exhalatio, calore solis stellarumq; virtute, & aëre effecta. Dicuntur imperfectè mixta, quia non ex omnibus elementis, sed vel ex aquâ, vel terrâ, vel conjunctim ex utroque constant.

IV.

3. Quoad Distinctionem. Distingvuntur Meteora quòd quædam sint καὶ ὑποστάσι, quæ reverà in rerum naturâ subsistunt, nec in subjecto, ceu accidentia, insunt, quædam καὶ ἐμφασί, quæ quidem, ut accidentia per se subsistentiam in naturâ non habent, speciem tamen rei subjectæ repræsentant.

V.

καὶ ὑποστάσι Meteora alia sunt ignea, alia aërea, alia aquea. Nos pro ingenii tenuitate, hoc in Exercitio Meteora aquea tractaturi sumus, & quidem imprimis Rorem majalem. Prius autem definimus Meteora aquea, quòd sint corpora imperfectè mixta, quæ ex vapore, seu calida & humida exhalatione generantur, atq; vel immediatè in aquam resolvi sunt apta, vel jam actu aquæ sunt.

VI.

Fiunt Meteora aquea vel in mediâ aëris regione, vel in imâ, vel etiam in terræ visceribus. In medio quidem aëre producuntur Nubes, Pluvia, Nix, Grando. In infimo aëre Nebula, Ros & Pruina. In terræ cavitatibus, Fontes, Flumina & Mare.

VII.

Egimus hæctenus de Meteoris, tam in genere, quàm in specie, missis autem aliis, assumemus tantum Meteora aquea infimæ aëris regionis, è quibus nunc de ipso Rore,



& quidem **RORE MAJALI** agemus. Dicitur Ros à rari-  
tate, ut Isidoro placet, vel quasi rarus, cum substantia ejus  
rarior sit, quàm Pluvia, & tenui aspergine rigeat & reficiat  
plantas. *Δρόσ* appellatur ab Aristotele 1. Met. cap. 10.  
vel ob fugacitatem, vel ob fluiditatem. Tereniabin voce  
Arabica à Theophr. Paracelso & aliis indigitatur.

**IIX.**

Vocatur Majalis, quia mense Majo decedit. Mensis  
May autem nomen aliqui à Cimbrica voce Mai sive Mei  
deducunt, quia viror omnium plantarum significatur,  
quemadmodum hanc ratione Lombardiæ Urbs primaria  
Meiland dicta esse videtur, quod condita fuerit in regione  
viriditate camporum delectabili: Quamvis alii insignitum  
hunc mensem velint quasi madium aut madidum, pro-  
pterea quod hoc tempore fecunda humiditas deprehen-  
datur; quò referendum erit tritum illud:

*Ros & frons nemorum Majò sunt fomes amorum.*

**IX.**

Rem ipsam quod attinet. **ROS MAJALIS** est Me-  
teorum aqueum ex vapore humidioris & subtili è terra  
mense Majo exeunte, statimque, ut in aërem infimum serene  
nocte & tranquillâ elevatus est, iterum in guttas aquæ  
minutissimas ac tenuissimas, vi frigoris concrecente, ge-  
neratum. Definitur definitione causali, non essentiali. Ge-  
nus est meteorum aqueum, dicitur autem aqueum, quod  
ex aqua oriatur. Adest etiam in hac definitione tum dif-  
ferentia generica, tum specifica. Extant quidem plurimæ  
roris definitiones apud Autores, quæ partim sint materia-  
les, partim constantes omnibus causarum generibus.

**X.**

Causa efficiens roris majalis vel est Prima & Super-  
na-



naturalis, vel Secunda & Naturalis, Prima est Jehovah, qui ut Pater & Creator omnium rerum creatarū, ita etiam Roris majalis primus & summus est Autor: Ut sacrae testantur paginae. Genes. cap. 28 v. 28. Det tibi Deus, inquit Isaac, de rore caeli & Pingvedine terrae. Jud. cap. 7. precatur Gedeon, ut vellus lanæ in areâ expansum, rore madefiat, terrâ undiq; manente siccâ. Ps. 133. v. 3. Imò roris Genitor est. Job. 38. v. 29. Possunt etiam adhuc multa, si opus, sacrarum literarum testimonia adduci.

XI.

Secunda est vel Remota & Universalis, quæ Sol & Astra, hæc enim motu suo & lumine movent elementa vaporabilia, aquam & terram, & vaporem excitant, ac sursum in sublime attrahunt, ex quo ros majalis generatur.

XII.

Vel Proxima & Particularis, quæ vel Privativa, nempe caloris defectus, si enim intensus esset calor, converteret vaporem illum calidum & subtilem in aërem; vel Positiva, nimirum frigus infimi aëris, & noctis temperatum, quod vapores subtiles in guttas aquæ tenuissimas concrefcere facit, cogit & densat in aqueum liquorem, non autem congelat, quemadmodum in pruinâ.

XIII.

Materia roris majalis est vapor exiguus & subtilis, in imâ aëris regione, qui circa crepusculum matutinum guttatim & orbiculariter decidit juxta naturam æquæ. Ros enim *μάλλον γίνεται ἐν εὐθείᾳ, καὶ ἐν τοῖς εὐθειωτέροις τόποις.* Uti habet Aristoteles lib. 1. Meteor. cap. 10. Dicitur autem exiguus & subtilis, ad differentiam vaporis humidi crassi, qui convertitur in Pluviâ, nunquam autem in rorem propter crassitiem.

XIV.



XIV.

Ipsæ autem Ros & Pluvia proportione idem sunt, sed quomodo differant, apud Philosophum videre est, dum inquit: Est enim pluvia multus ros, & ros parva pluvia; nix multa pruina & pruina parva nix. Hujus differentie causam assignat ex parte materiae paucioris, scilicet vaporis; ephemera enim consistentia est ipse vapor roridus.

XV.

Forma est ipsa depressio sive precipitatio & alteratio subtilis vaporis consistens in multitudine & rotunditate guttularum minutissimarum deciduarum. Non enim vapor continuus, sed in guttulas concrevit & rotunditatem ceu figuram aquae propriam accipit.

XVI.

Subiectum in quo, sive locus generationis est infima aeris regio, praesertim in regionibus & districtibus temperatis. Ubi enim est & agit causa efficiens, ibi etiam ut locus generationis adsit, necesse est.

XVII.

Tempus, quod spectat, est duplex, vel generationis, vel durationis. Illud est vel in genere, Ver & Autumnus, ubi nec calor deest, nec vapores & exhalationes sunt infrequentiores: Vel in specie Mensis Majus, unde nomen suum habet. In hoc autem Mense ver est temperatissimum & purissimum, propterea ros majalis inter omnia rorum genera est praestantissimus & optimus, quia non verminat, etiam si diutius asservetur.

XIX.

In aliquibus etiam annis ros magis aut minus fit; cuius rei rationem ex Astronomia depromunt, quia aliquibus annis praedominantur Venus & Jupiter, aliquibus non; Lumina enim harum cum Solis lumine commista calefaciunt humida caliditate faciente pro generatione

mate-



materiae roris, aliae stellae si in anno vigeant, privant annum ro-  
re. Videatur Aug. Niphus lib. 1. meteorologicor.

XIX.

Modum & Processum Generationis eleganter describit  
Alsted. Encycloped lib. 13. Phys. part. 3. cap. 11. Sol tempestate serene  
na vi caloris sui ex inferioribus elementis attrahit vapores: Hos per  
diem eodem calore coquit: Halitus istos a sole coctos luna excipit &  
insit a virtute sua inpragnat: Tandem frigore condensantur isti va-  
pores, & ad inferiora elementa rursus demittuntur. vid. etiam Phys.  
Hermet. Nollii. lib. 7. cap. 4.

XX.

Tempus Durationis est tempus matutinum & Aurora,  
non potest autem amplius durare ob maximum Solis aestum  
consumentem omnem materiam.

XXI.

Ratione significationis, quamvis Ros in eorum meteoro-  
rum aequorum quoque numero habeatur, quae si moderata sint  
nihil admodum, neque ulla effectu dignas mutationes praemon-  
strent: Tamen compertum est, quod cum ros cadit, serenita-  
tem aliquibus diebus futuram certo significet.

XXII.

Continet Ros sub se duas species. Prima Graecis Δροσόμελι, &  
Latinis Manna nuncupatur, quae ros est temperatissimus, natus  
ex purissimo ac praepingvi, terrae vapore, qui in aërem calore  
solis eVectus a frigiditate temperate noctis condensatur. Conim.  
de Met. c. 11. Colligitur autem in tribus praecipue regionibus, un-  
de tres ejus species in Officinis numerantur: Syriaca, Germa-  
nica & Calabrica. Trahitur a Medicis in usum medicamenti le-  
niter purgantis & humorem biliosum educentis. vid. Galen l. 3.  
de alim c. 39. Matthiol. sup. c. 73. l. 1. Diosc. Vallesius in suo opere de  
sacra Philos. c. 57.

XXIII.

Altera est Mel, & est vapor quidam dulcis floribus ac frugibus  
insidens, quem apes inde exsugunt & colligunt. Aliquas, ipsius  
B ratio-



ratione saporis, consistentia & aliarum circumstantiarum differentias, cui volupe est, evolvendas ex Aureolo Theophrasto, nomine: Nostech, Melisa, Tronoffa, Lorchæ, Ulech, nunc relin-  
quimus.

XXIV.

Tertiam nonnulli addunt roris speciem, quam Ladanum vocant; verum ut inquit Fromondus lib. 5. Art. 6. Ladanum non diversum à melle meteorum, sed species ejus est: In Cypro præcipue nascitur, villisq; ac barbis caprarum, partibus matutinis adhaeret, dum rorulentum est.

XXV.

Ros iterum dividitur in salutarem & noxium. Salutaris est, qui verè & ros est & dicitur, & est ros majalis. Meurer. quæst. Meteorolog.

XXVI.

Noxius est inter pluviam & rorem medius, illæ minutissimæ guttæ quæ in magna cœli varietate sæpè cum solemicat radiis, tacite depluunt, & rebus nascentibus exitio sunt. De quo Virgilius lib. 1. Georg.

Mox ut frumentis labor additus, ut mala culmos  
Effet rubigo. &c.

Germanicè nominatur Mildau / sive Melbau / quasi farinae ros, ob colorem candidum, quo ita tinguntur folia, quasi farina esset conspersa.

XXVII.

Qualitates sapidas interdum adjunctas ros majalis habet, ut dulcedinem, amaritudinem. Ros manè suâ natura dulcis est, postea amarus. Alii itaq; vapores à rebus salutaribus excitantur & evocantur: Alii à rebus putridis & corruptis. Uti namq; Terra dulcem saporem tribuit aquæ defluenti, sic vapores dulces etiam dulces rores reâdunt, & Sol quoq; interdum relicto crasso, terrestri & salso, tenuius & dulcius extrahit. Amari vapores oriuntur ex terreo, sicco & adusto sibi admixto.

XXVIII.

Laudes suas etiam habet tam in sacris, quam in profanis. Genes. cap. 27. Formula est benedictionis Jacob. Jud. cap. 6. Testimonium est maximum Dei providentiæ & præsentia. Osea  
cap.



cap. 6. Evangelium rori & aurora confertur. Quid faciam tibi Ephraim? quid faciam tibi Juda? Beneficentia, qua erga vos utar, erit sicut ros mane veniens. *Pf. 133.* Indicium est Pacis & amoris. Sicut Ros Hermon, qui descendit in montem Sion, quasi dicat: Sicut ros natus ex temperate calido & frigido vapore suavem quandam & lenem humectationem terrae affundit, qua agri aestu diurno penè exhausti recreantur & novam vim accipiunt: Ita Pax suaviter homines reficit ac recreat.

XXIX.

A Physicis & Philosophis vocatur gaudium & vita herbarum. *Alsted. Encycloped. lib. 13.* jentaculum vegetabilium, restaurans illis vires & succum, Maierus in septimana philosophica de Meteoris. A Medicis & Chymicis nominatur Origo & radix primæ materiæ mineralium & metallorum: item Spiritus salis metallorum & sudor solis terranei.

XXX.

Ex hisce roris majalis encomiis variæ utilitates & fines oriuntur.

Herbas & flores à sole marcescentes, exsiccatas, flaccidas, lassas & quasi penè emortuas reficit, refocillat, recreat & renovat. Unde Virgilius inquit, lib. 2. Georg.

*Et quantum longis carpent armenta diebus  
Exigua tantum gelidus ros nocte reponit.*

2.

*Materiam generandis apibus suppeditat, Meurerus.*

Apes enim non generantur ex concubitu neq; putrefactione, ut Muscæ & culices, sed ex rore, quem important in suas cellulas. De generatione apum legatur. *Plin. lib. 11. cap. 16.*

3.

*Hæc est ovis summum refrigerium. Horat. Dec. 1. Probl. 9. 10. p. 90*

Rores majales corpulentiam consumunt. Propterea Femenæ crassulæ rore se lavant, aut etiam bibunt ad gracilitatem. *Ursæ de Theocritus in Thyrside de Vitulâ macrâ.*

*Μὴ πρῶνας σιτίζεται, ὅσπερ ὁ τέτιξ;  
Rorene vivit, more cicadæ?*

4. Ma.



4. Materiam præbet gignendis Margaritis. *Autor est Plinius l. 9. c. 35. rore conchas concipere & margaritas parere. Sic enim ille: Has ubi genitalis anni stimulaverit hora, pendentes sese, quâdam oscillatione impleri roscido conceptu tradunt, gravidas postea eniti: partumq; concharum esse margaritas, pro qualitate roris accepti: si purus influxerit, candorem conspici; si verò turbidus foetum sordescere: eundem pallere cælo minante conceptum.*

5. Corpora hominum tingit atq; polit. Calendis enim Maji Puella & Mulieres rorem colligi curant. Hinc præter illam cosmeticam facultatem nonnulli & consolidantem eidem ascribunt quòd in scabritie & impetigine cutis vel leviter allitus insignem præstet usum.

6. Quod maximum; ex rore majali medicina universalis conficitur, ut patet ex Nollio *Phys. hermet. lib. 7. cap. 4. Omnibus vegetabilibus vigorem & virorem inducit, animaliumq; omnium vitales spiritus per respirationem insensibiliter instaurat, medicina universalis ex rore conficitur. Ego in rore vidi salia diversa, spiritum dulcissimum, quod solo odore suo labescentem hominem mirabiliter erigere potest. Ex Job. Wolfg. Dienheim apud Alsted. Encycl. l. 27. Ex Heinrico Paschasio in Antil. contra Assuer. Ex Rhumelii compendio hermetico de aquâ Ponticâ. Ex Laurenberg. synopsis. Angel. Sala quest. 6. & c.*

XXXI.  
Addenda essent quàm plurima de rore majali, quæ omnia, si recensere & explicare voluerimus, non solum charta, sed & tempus deficeret. Videantur & Chymici & Medici, qui de Rore majali integros scripserunt tractatus.

SOLI DEO GLORIA.



Leipzig, Diss.; 1650-51

ULB Halle 3  
004 547 292



f

sb.

WMA











1650, 13

PHYSICÆ

AJALI.

e Fac Philos.

ANDREAS

nopolitanus, Med. &  
lustr. Dn. Administr.  
leb. Alumnus.

LUS, Dantiscanus  
Studios.

Maji.  
DC L.

Hœniano.

